

*detur sanguis illius*, inquit Deus, Gen. IX. et propterea ibidem in lege naturæ, et postea in lege scripta, Levit. III. vetuit Deus comedi sanguinem animalium, ut rudis ille populus per hoc abstereretur ab effusione sanguinis humani.

VI. Videte quibus armis pugnandum sit in adversarios nostros, amore videlicet et beneficiis. Ita enim Dominus in hodierno evangelio ait, se expandisse alas suas ad recipiendos in gratiam eos, qui prophetas a se missos lapidabant et necabant: idque fecit non solum in veteri lege per prophetas, sed etiam in nova per apostolos suos, et per semetipsum, concionando, orando, mira patrando, et præsertim in cruce manus suas expandendo et pro eis patiendo. Hæc ergo nobilissima et divinissima ratio est ulciscendi se de inimicis, congerendo videlicet carbones amoris, et beneficentiæ super caput eorum. Granum hoc ex ore Christi rapuit in primis Sanctus Stephanus, tantæ gallinæ insignis pullus, cum moriens oravit pro suis lapidatoribus. Cui merito accensimus S. Joannem Gualbertum abbatem, cui adhuc sæculo militanti cum armigero suo (ut refert Blasius Melanensis, apud Cur. 42. julii.) Florentiam tendenti, in ipso itinere capitalis ejus hostis (is cognatum ejus occiderat) ex insperato fit obviam loco adeo angusto, ut neutri locus paret a via deflectendi. Tum vero hostis plane inermis, cum haud dubiam necem sibi paratam cerneret, concepta subito fiducia, ab equo desiliens, humi se prosternit, junctisque cancellatim ad pectus manibus pro Crucifixi amore veniam vitamque sibi precabatur. Compunctus Joannes audito nomine Crucifixi, panem offert, metum ponere jubet, culpamque ei ex animo remittit. Hoste dimisso Joannes ad ecclesiam quamdam deflexit, cumque ibi coram Crucifixi imagine flexis genibus Christi vulnera contemplaretur, vidit (dictu mirabile) Christi caput ad se inclinari tamquam gratias agentis, quod pro ejus reverentia hosti capitali pepercisset. Joannes autem illa Christi bonitate attractus, protinus relicto sæculo monasterium ingressus est, et tam sancte vixit, ut in numero sanctorum sit.

VII. Videte quo confugiendum sit, cum vagi et dispersi inter insidias tartarei milvi degimus, ad alas utique Christi, quas erga nos expandit,

sicuti testatur in hodierno evangelio (neque enim erga nos Christianos minor est ejus affectus, quam fuerit erga Judæos.) Quemadmodum ergo tempore diluvii nemo salutem invenit, nisi in arca, tametsi alii alia asyla quasierunt, vel præaltos montes, vel excelsas turres, vel sublimes ascendendo arbores: ita qui ad Christi alas non se recipit, salutem nusquam inveniet. Peribunt ergo, qui in calamitatibus vel periculis a diabolicis præstigiis et præstigiatoribus opem requirunt, quia in unguis accipitris incidunt: peribunt, qui ad mundum fugiunt, quia debilis et fallax est. Quoties ergo tribulatio nos apprehendit, quoties tentatio pulsatur, quoties dæmon, caro, mundus nobis insidias struit, attollamus in crucem oculos et sub alas Crucifixi nos recipiamus, cum Davide dicentes, Psalm. LX. *Protegar in velamento alarum tuarum.* « Si enim gallina, inquit S. August. in Ps. XC. protegit pullos suos sub alis, quanto magis tutus eris sub alis Dei adversus diabolum et angelos ejus? » Imprimis vero, cum morientibus insidiatur dæmon, meminerimus confugere sub alas Domini nostri; cujus exemplum nobis præbuit Sanctus Stephanus, qui adversantibus sibi Judæis velut milvis obsessus, intendentes in cælum, vidit Christum stantem utpote in auxilium sibi occurrentem. Hujus alas jamjam subiens dicebat: *Domine Jesu, suscipe spiritum meum.* Discite hic optimam moriendi rationem. Primo enim, non de corpore, sed de spiritu curam gerit: contrarium faciunt impii. Secundo, fidem profitetur, Jesum vocans Dominum, scilicet creatorem, redemptorem et salvatorem suum. Tertio, spem in eo desigens, ipsum invocatur, meritis suis diffidens: hinc vocat eum Jesum, qui scilicet velit et possit ei salvare. Quarto, per amorem ei animum spiritumque resignat. Denique, non temere salutem sibi certam facit, tametsi martyr occumbit; sed orat suscipi a Domino, in confusionem hæreticorum et similium præsumptuosorum, qui sine omni divini judicii timore vivunt et moriuntur, quasi securi de salute. Tales igitur gallina illa cælestis sub alas suas recipit, et fovet cælestium honorum perpetua dulcedine quam et nobis largiri misericorditer dignetur.

## AUCTURIUM.

## CONCIO I.

## CORONA GEMMA S. STEPHANO DEBITA.

Lapides Sancti Stephani gemmæ sunt. — I. Debetur et adamas. — II. Debetur et carbunculus. — III. Debetur ei hyacinthus. — IV. Debetur ei jaspis. — V. Debetur ei saphirus. — VI. Debetur ei smaragdus.

## THEMA.

*Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.*  
Psal. XX.

Plinius, lib. XXXVII. cap. IX. refert in locis fulmine tactis reperiri gemmas, quæ cerauinæ, id est, fulminæ vocantur, quas Parthorum magi summa diligentia requirunt. Quis non videt, auditores, fulmina quam plurima in S. Stephanum emissa? Quid igitur? Non arbitramur in ipso quoque complures gemmas, easque fulmineas reperiri? Lapidem in eum projectos, mutatos esse in gemmas, easque pretiosas? Ita sane mihi persuadeo. Quare eamus ad S. Stephanum et quæramus in eo gemmas illas, et quidem maximo studio, quia maxime nobis proderunt. Stephanus Græce, coronam significat Latine: coronemus ergo Stephanum, non jam lapidibus, ut prius impii Judæi, sed gemmis pretiosis.

I. Debetur illi adamas. Primo, ob soliditatem et duritiem, quæ nullis malleorum ictibus cedit. Sic enim et Stephanus in fide solidissimus nullis vel legisperitorum argumentis, vel lapidatorum ictibus cessit; unde bene *plenus fide et fortitudine*, Act. VII. dicitur. Scribit S. Epiphanius, l. de duodecim gemmis, c. IV. summum sacerdotem in v. t. ter in anno adamantem gestasse, in festo paschæ, pentecostes, et tabernaculorum. Qui tunc vario colore apparuit; candido, quasi niveæ lucis felicitatem portendens; nigricante, mortes et funera; sanguineo, bella. Idem cernere est in Stephano, qui rationem fidei coram magistratibus reddens, vultumque angeli representans, candidum se exhibuit, honorifice eos compellans: *Viri fratres et patres, audite*, Act. VII. tametsi illi minas spirabant et cædem: *Responsio enim mollis frangit iram*, Prov. XV. At ubi vidit eos animum non advertere, sed persistere in sua pertinacia, sanguineum assumpsit colorem bellum quasi eis denuntians, cepitque increpare eos: *Dura cervice et incircumcis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, etc.* Quia enim fulgura contempserunt, fulmina addidit. Denique,

ubi nec ista profecerunt, nigrum assumpsit colorem, quando flexis genibus jam moriturus oravit pro illis. Tunc enim prostravit Saulum (et forte plures cum eo); qui postquam conversus fuit, synagogæ jugulum fregit. Simillimum quid in more habuit Tamerlanes Scytharum rex, qui civitates obsidens, primo die, candidum vexillum, pacem denuntians; secundo die rubrum, bellum portendens et sanguinem; tertio nigrum, significans exterminium et interfectionem, exposuit, proposuitque obsessis. Hic more barbaro, S. Stephanus Christiano; qui aptus est vindicandi modus: orando enim pro inimico, mactas inimicum et facis amicum.

Secundo, quia sicut adamas impedit magnetem, ne ferrum ad se trahat, imo cogit attractum jam respuere, si ei jungatur, teste Plin. lib. XXXVII. c. IV. sic Stephanus sua oratione pro inimicis fusa, Saulum, qui magnetis instar Christianos trahebat e domibus, etiam ad tribunalia, cohibuit ne id postea faceret, sed ut ipse prædam divideret, coegit. Hanc gemmam qui sibi comparare volunt, dent operam ut eos, qui magnetis instar trahunt ad se et pervertunt animas, impediant seu oratione seu quovis alio modo.

II. Debetur ei carbunculus. Primo, quia carbunculus carbonis instar igniti splendet, etiam de nocte: *Calefactus quoque attritu digitorum vel a sole, paleas et chartarum fila attollit*, ait Plin. l. XXXVII. c. VII. Addit. p. Cornelius a Lap. Apoc. XXI. se a Lusitanis fide dignis audivisse, Lusitanie regem in festo corporis Christi præferre in fronte equi carbunculum tantum et tam fulgidum, ut plateam illustrare videatur. Talis est Stephanus, qui cum esset plenus sapientia et Spiritu sancto, mirum in modum illustravit sua sapientia non totum modo concilium, sed etiam totam Jerosolymam, imo orbem universum, et imprimis Hungariam, cujus rex Stephanus protomartyris patrocinio ad fidem est conversus (ut in ejus vita 20. aug.) et alius Stephanus junior per ejus intercessionem in utero matris benedictus, apud S. Dam. in vita.

Secundo, carbunculus in acetum ære injectus splendescit magis, et aquis perfusus inardescit, ut Plinius, loco citato refert. Ita Stephanus, cum acerrime a falsis testibus accusaretur, tunc apparebat vultus ejus tamquam angeli stantis inter illos, quasi Deus per hanc angelicum splendorem, innocentiam ejus manifestare ac defendere vellet. Mox ubi etiam lapidum imbre perfusus

fuit, omnino ardere charitate cœpit, et Dei et proximi: *Suscipe*, inquit, *spiritum meum, et ne statuas illis hoc peccatum*. Sic nimirum Deus servorum suorum innocentiam et gloriam, cum maxime præmuntur, maxime prodit ac defendit. Hanc gemmam qui desiderant non in prosperis solum, sed in adversis etiam fervéant ac splendeant amore Dei et proximi. Aliqui in dulci vino devoti et pii sunt; at cum aqua eis apponitur, et cum aceto immerguntur adversitatis, omnem splendorem perdunt omnemque pietatem.

III. Debetur ei hyacinthus, hinc enim cœlose conformatur (hujus namque similitudinem antiqui hyacinthi referre rebant) cum sereno induit serenum colorem, cum nubilo nubilum. Similiter et Stephanus sese conformavit Christo: primo, inter falsos testes, et in concilio, ubi stans intrepidus placidoque vultu velut angelus veritati testimonium perhibuit; deinde, sub martyrio, quando jam moriens delapidatoribus suis sollicitus pro ipsis oravit. Nimirum id audivit a Christo crucifixo, ut vult Sanctus Augustinus, ser. I. de Sancto Stephano: *Ut hoc dicam*, inquit, *tibi* (scilicet, *ne statuas, etc.*) *a te primo audivi*. Probabiliter enim putat eum cruci Christi præsentem fuisse, serm. XCIII. de diversis: *Oravit Christus pro crucifixoribus suis, oravit et Stephanus pro suis lapidatoribus: Dominus Jesus Christus oravit affixus ligno, et Stephanus genu flexo*. Idem, serm. I. de Sancto Stephano, addit Stephanum idem apposuisse comedendum Judæis, quod ipse comedit in mensa Christi, juxta id Prov. XXIII. *Si sederis, ut comedas ad mensam potentis* (juxta Septuaginta) *sapienter injice manum, sciens quoniam talia te oportet præparare*. Sic ergo diligenter observandæ sunt tibi conciones, ut etiam aliis apponi a te queant: quemadmodum Samuel armum sibi appositum, reservavit et apposuit Sauli, I. Reg. IX. Denique, sicut Christus Patri spiritum suum moriturus commendavit; ita etiam Stephanus: *Domine, suscipe spiritum meum*. Rursum, uti Christus acriter reprehendit Judæos, quando ipsi Deum offenderunt, adeoque severum et nubilum vultum assumpsit: *Væ vobis Scribæ et Pharisei, etc.*, pari modo Stephanus induratos Hebræos acriter reprehendit: *Dura cervice, etc.*

IV. Debetur ei jaspis primo, quia jaspis est gemma antiquissima. Unde Plinius: *Etiamsi victus a multis, antiquitatis tamen gloriam retinet*. Jaspis enim in ipsa terræ superficie invenitur, cum reliquis gemmas in terræ visceribus natura abdiderit, ut scribit Cornelius a Lap. in Apoc. cap. XXI. atqui S. Stephanum antiquitatis prærogativam habet ac retinet, quia est martyr antiquissimus ac primus omnium, licet atrocitate tormentorum ab aliquibus superetur. Hinc S. Am-

brosius, quinto hexam. c. VI. et l. IV. in c. V. Luc. ait eum designatum in illo pisce, qui primus ascendit de mari ad hamum Petri, ut pretium martyrii pro Christo persolveret. Ille quasi in superficie terræ se martyrio obtulit, disputans contra Judæos in ipso fidei exordio, Jerosolymis, ante omnes. Idcirco bene dicitur a Luca *plenus gratia et fortitudine*, quasi iis redundans, et ex plenitudine se sponte effundens, velut dolium musto plenum. Unde B. Petrus Damiani, ait ser. de Sancto Stephano: *Jungitur gratiæ fortitudo, quia, infuso spiritu libertatis, ignitus animus in lucem veritatis erumpit. Sic loricator gratia et hasta fortitudinis sapienter infrendens, faciebat signa, etc.*

Secundo, quia gemma firmissima, ut com. loco citato. Talis etiam Stephanus, qui lapidum imbri et minis totius magistratus minime cessit. Vincentius Beluacensis, in speculo naturali refert, jaspidem inveniri amœnæ pulchritudinis, in qua species viri emineat clypeum e collo suspensum gestantis, et subjectum pedibus serpentem calcantis. Simillimus huic Stephanus: quomodo enim tot lapides in se jactos ferret, nisi clypeum in collo gereret? Quis vero hic? *Video cœlos apertos, et Filium hominis stantem, etc.* quasi diceret: Non curo, nec sentio vestros lapides; quia jam introspectio in cœlum, jam prehendo coronam; hic clypeus omnia vestra tela excipit. Serpens porro pedibus pressus, quis nisi Judæi, aures suas obturantes ad concionem Stephani? Hinc enim in eos fulminat: *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, etc.*

V. Debetur et saphirus. Hic enim apud veteres magna semper in veneratione fuit, summum imperium ac sacerdotium significans, ut scribit Pierius, lib. XLI. hierogl. Rucus et alii. Unde olim *gemma gemmarum* appellata, teste Abulensi, in cap. XXVIII. Exodi. Hodie etiam pontifex nuper creato cardinali mittit saphirum una cum purpura; ut sciat sibi cœlum etiam sanguine comparandum, si occasio ferat. Nec immerito, quia cœlum serenum ac stellatum representat, quo aspirare decet summos præsules. Stephanus sane talis, qui vidit cœlos apertos, et toto pectore eo evolare anhelabat: primus etiam vi armata perripit, sanguinem pro eo fundens. Unde semper in Ecclesia, etiam primitiva, maximo in honore habitus fuit; jureque primus Ecclesiæ cardinalis censi debet. Admirationem omnem superat ille saphirus, in quo visio Moysis et lex decalogi naturaliter fuisse impressa dicitur. Cujus meminit S. Epiphanius episcopus Cypri, II. de duodecim gemmis. Jam vero S. Stephanus reddens ratio-

nem fidei suæ, extemporanea oratione narrat totam historiam Judaismi ab Abraham usque ad Salomonem, legemque a Moyse descriptam, ut videri possit tota lex Hebræa in ejus memoria exsculpta fuisse, c. VII. Act. Quod signum est, fuisse eum thecam arcanorum divinatorum veteris legis. Magna etiam hæc laus Christiani foret, si quis ita cordi suo insculperet legem et vitam Christi, sanctorum gesta et dicta quæ in piis libris legit vel audit. Tales non procul absunt a regno Dei, uti dixit Christus Scribæ illi, qui magnum legis mandatum memoriæ bene impresserat, Marci XII. *Non es longe a regno Dei*. Cui accenseri possunt, Alphonsus Aragoniæ rex, qui totam S. Scripturam cum commentario decies quater perlegit, teste Panorm. in ejus gest. et Ferdinandus II. imper. qui vitas sanctorum a Surio descriptas, sexies decursas memoria inscripsit, ut est in ejus virtutib. c. V.

VI. Debetur ei smaragdus; hic enim primo viriditate omnes gemmas herbasque superat, ideoque aspectu ejus nihil jucundius, ut scribit Plinius, lib. XXXVII. cap. V. Talis autem Stephanus, qui juvenis florentissimus, (unde angeli speciem referebat) virgo insuper fuit, affirmat Augustinus, sermon. II. de sanctis, dicens, in ipso flore juventutis passum. Et Sanctus Fulgentius, ser. de S. Stephano: *Pulchra est virtus in viro, pulchrior in juvene*. Deinde, smaragdus speculi instar representat res objectas. Unde Nero imper. gladiatorum pugnas in smaradgo inspiciebat, teste Plinio, loco citato. Stephanus speculum est martyrum; unde ipse Christus e throno suo non solum pugnam Stephani, sed etiam pugnas martyrum suorum futuras, in Stephano, primo martyre strenuissimo, inspicit, ut testatur ipse: *Video cœlos apertos et Filium hominis stantem a dextris Dei*. Christus enim de solio suo quasi surrexit, ut spectaret pugnam istam. Vidit autem in ea martyres suos verbera excepturos, non reddituros: vidit eos pro inimicis suis oraturos: vidit eos pro nomine suo ad mortem usque certaturos: vidit eos omnium adversariorum ora obstructuros: vidit eos sanguine suo quasi semente agrum Ecclesiæ fœcundaturos: vidit in ea Christus suos martyres habituros os et sapientiam, quibus minime possent resistere omnes adversarii eorum, sicut habuit Stephanus: vidit eorum innocentiam in pœnis magis emicaturam, velut aurum in fornace: sicuti in Stephano emicuit vultu angelico, dum accusaretur in concilio. Itaque spectaculum factus est non solum mundo, sed etiam ipsi Deo. Videmus ergo non esse semper lapides, qui putantur esse, et in nos projiciuntur, calumniæ, probra, injuriæ, contumeliæ. Gem-

mæ sunt, non lapides. Beati igitur, qui cum Stephano meruerunt lapidari; quia sic lapidari, nil est aliud nisi coronari. Talis Magdalena illa Japonia, apud Nic. Trigaut, in triumphis Japonicis; quæ in rogo semicombusta prunas sustulit, et capiti suo imposuit, sibi quæ inde quasi de carbunculis coronam capitis fecit, Arimæ cum septem aliis ob fidem igni tradita, anno 1613. Quando vero nos tam fortes athletæ non sumus, simus saltem patientes, quando in nos de cœlo Deus tribulationum lapides emittit, et gaudeamus inter eos. Sic enim tict, ut et ipsi nobis suo tempore in gemmas commutentur, cum mercedem patientiæ accepturi sumus.

## CONCIO II.

INIMICORUM INJURIAS PANES ESSE OSTENDITUR.

Lapides S. Stephani vocantur panes. — I. Quia abstergunt peccati nigredinem. — II. Quia præservant a lapsibus. — III. Quia hominem confortant. — IV. Quia formant hominem.

## THEMA.

*Lapides torrentes illi dulces fuerunt. Ecclesia in laudibus.*

Æneas Sylvius, Friderici III. imperatoris orator, postea Pius II. papa, in descriptione Europæ, capite XLV. scribit in Scotia pauperes penudos ad templa mendicantes, acceptis lapidibus elemosynæ gratia, lætos abire. Id enim genus lapidis, sive sulphurea sive alia pingui materia præditum, pro carbonibus servit et initur, quandoquidem regio illa lignis caret: quare pauperes, iis venditis, panem sibi ex illis comparare possunt. Videtur mihi Sanctus Stephanus similem elemosynam et petiisse et accepisse a synagoga Judæorum: dum enim repente increpare Judæos incipit: *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, etc.* quid, nisi lapides petit? Audiamus Sanctum Augustinum, sermon. I. de sancto loquentem: *Eia, Sancte Stephane, dic aliquid Judæis, ut incipias lapidari et possis coronari. Jaculare verba, et excipe saxa. Dic aliquid de incircumcisis cordibus, et morieris lapidibus, quasi diceret: Quid petis? Lapidem ne pro elemosyna? Certe ad primam petitionem accipies, cum illos corripueris. Sed nimirum Stephanus scivit quid ex lapidibus illis fieri posset, si æquanimiter ferantur, panes nimirum optimi ac suavissimi. Hinc enim de ipso ait Ecclesia: *Lapides torrentes illi dulces fuerunt*: hinc Germani lapides subinde *Sancti Stephani panes* appellant. Dabo tibi panes Sancti Stephani,*

hoc est, lapidabo te, inquit. Videamus ergo quomodo hoc verum sit.

I. Panis seu cibus abstergit famelicis livorem, maciem, nigredinem e fame contractam, qualem contraxerunt tempore obsidionis et captivitatis Judæi. Unde Thren. capit. IV. de eis dicitur: *Denigrata est super carbones facies eorum, non sunt agniti in plateis*: et capit. V. ubi dicunt: *Pellis nostra quasi clibanus exusta est a facie tempestatum famis*. Vidimus etiam ante paucos annos, tempore famis, homines facie combusta ac denigrata passim incedere præ fame, et viribus destitutos vix ossibus hæere. Famis hanc deformitatem abstergit. Idem faciunt injuriæ: abstergunt enim a peccatore animæ nigredinem et maciem. Primo, quia objiciunt et revocant ei sæpe in memoriam peccata admissa aut vitia adhuc adherentia. Quemadmodum enim Lacydes Argivorum rex, (teste Plutarch. lib. de utilitat. capienda ab inimicis) cum Promotheum Thessalum cogitaret occidere, casu tuber ejus ita percussit ac dissecuit, ut, rupto ulcere, præter voluntatem servaret inimicum: ita fit non raro, ut convicium alicui impactum medeatur animæ morbo. Experta id est Sancta Monica mater Sancti Augustini, quæ in juventute prerior ad vini potum, cum ab ancilla macunda meribula vocaretur, hoc probro et pudore velut vulnere icta, omnem vini cupidinem ab animo abstersit. « Hoc stimulo percussa, ait Sanctus Augustinus, lib. IX. confess. c. VIII. respexit fœditatem suam, confestimque damnavit atque exiit. Sicut amici adulantes pervertunt, sic inimici litigantes plerumque corrigunt. » Rari sunt amici veri ac fideles, qui pravos amicorum morbos carpere audiant: inimici audent. Sunt ergo quasi chirurgi nostri. Chirurgus qui tibi putridam carnem secat, gratias habes et mercedem das; imo, qui tibi maculam in facie aut veste ostendit, gratias illi agis. Idem sæpe facit, qui contumeliis te onerat. Veridicus tuus est: veritas autem cibus animæ est, sicut panis corporis.

Secundo, quia reatum pœnæ, quasi maciem contractam, a nobis auferunt, si æquo animo tolerentur. Pacillus, dum vestem percutit, pulveres ab ea pellit: sic injuriæ pœnas nobis debitas et quasi inhærentes. Habuit vestem pulveribus adhuc scatentem ob admissa, tametsi dimissa peccata, nondum tamen expiata prorsus, rex David; qui proinde cum fugeret a facie Absalonis, obvium habuit Semeium, qui ei exprobrabat scelera sua, et lapides contra eum jacebat, dicens: *Egredere, egredere, vir sanguinum et vir Belial*. *Eddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul, qui invasisti regnum pro eo; et ecce premunt*

*te mala tua, quoniam vir sanguinum es*, II. Reg. XVI. Tulit autem hæc probra et hos lapides David patientissimo animo pro expiatione peccatorum suorum, et quasi lapides illi panes essent, suaviter iis quodammodo vescebatur. Cum enim Abisai servus ejus vellet injuriam hanc ulcisci, dicens: *Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi? Vadam, et amputabo caput ejus*, reprehendit eum David inquit: *Quid mihi et vobis est filii Sarviæ? Dimitte eum ut maledicat, Dominus enim præcepit ei ut malediceret David: si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac*.

« Quibus profecto verbis (ait S. Gregorius, libr. XXXI. moral. capit. XVII.) indicat quia pro perpetrato Bethsabeæ scelere, exurgentem contra se filium fugiens, reduxit ad animam malum, quod perpetravit, et æquanimitè pertulit quod audivit, et contumeliosa verba non tam convicia, quam adjutoria credit, quibus se purgari, sibi que misereri posse credidit. » Quare non incongrue Abisai canem appellabat Semeium. Quemadmodum enim canes, dum vulnera lingunt, lingendo et lambendo sanguinem, sanant; ita ipse, dum Davidi exprobrat, et in mentem reducit ejus peccata ab iisdem illum sanat, qui prius orabat tam flebiliter: *Libera me de sanguinibus*, hoc est, a pœna seu vindicta, quam expetebat sanguis Uriæ, qui velut miles armatus contra eum stare videbatur, vitam et uxorem repetens. Mirum quid refert Ulysses Aldrovandus, lib. IX. ornith. capit. I. de vespertione, qui cuidam monacho moribundo (cui phlebotomus tribus ictibus vena aperire non poterat, adeoque desperato) noctu pedem forte e lecto protensum mordens, venam rupit, sanguinem exsugens: qui cum postea diutius manaret, monacho sanitatem reddidit. Quis non videt Semeium Davidi talem vespertionem fuisse, qui dum ei morsum infixit, sanitatem contulit?

II. Panis etiam præservat hominem a languore, ne contabescat et moriatur: sic injuriæ et insidiæ inimicorum præservant te a lapsibus et vitæ turpitudine. Coram amicis nugaris, mentiris, letrahis, inebriaris, turpia et stulta loqueris; quod nequaquam faceres coram inimicis tuis. Sunt ergo inimici quasi pædagogi tui, qui semper observant te, ut mox reprehendant, et accusent delinquentem. Carolus IV. imperator moriens, Wenceslao VI. filio, regi et imperatori moderatorem consiliorum omnium dederat Joannem archiepiscopum Pragensem: eique uni Wenceslaus auscultare, indeque suis cupiditatibus modum imponere solebat. At eo defuncto, ceu rector destitutus, in omne genus scelerum præ-

ceps abiit, teste Dubravio, lib. XXIII. histor. Bohem. Non aliter contingit multis, cum destituuntur adversariis, moderatoribus suis. Ecce enim tibi Davidem rursus, qui quamdiu habuit Saulem, sibi infensum et persecutorem, tamdiu in omnibus viis suis prudenter agebat, ut dicitur I. Reg. XVIII. nec aliquando lapsus est: ac ubi suum pædagogum, suum hostem Saulem amisit, tunc in adulterium et homicidium incidit: quod neminem haberet, qui eum observaret et reprehenderet, id quod sane fecisset Saul, si adhuc vixisset. Oculatiores plerumque sunt inimici in res nostras, quam nos ipsi: norunt quomodo domi cum domesticis vivamus, quantum æris alieni, quales servos et ancillas habeamus; adeoque si quid morbidum, si quid vitiosum in nobis est, velut vultures ad id carpendum rapiuntur. Ita Saul observavit Davidis pene omnia vestigia, utrum assideret mensæ necne, quam ob causam abesset, ubi lateret: investigavit eum etiam in deserto Maon, I. Reg. XXV. cum esset David una cum suis, et vagaretur hinc inde incertus, ut habetur ibidem, y. XIII. Quare: « Recte dictum est (inquit Plut. I. citato) ab Antisthene philosopho, ad tuendam salutem opus esse aut ingenuis amicis aut acerbis inimicis; propterea quod illi, dum admonent peccantes, hi dum maledicunt, revocant a vitiis: sed quia ad libere admonendum pene vocem amisit amicitia, superest ut ab inimicis veritatem audiamus. »

III. Panis hominem confortat, et pedibus jam fractis vires ab ambulandum, brachiis fatiscantibus robur ad laborandum præstat; sicut Eliam confortavit panis, ut per quadraginta dies ambulare deinceps posset usque ad montem Horeb. Non dissimili ratione hominem confortant inimicorum persecutiones. Quemadmodum enim catholici, cum permixti sunt acatholicis (uti in civitatibus imperialibus) ferventiores communiter sunt in fide: quia exstimulantur et observantur ab hæreticis, et: « Sicut civitates quas finitimus hostis et continens bellum sobrietatem et vigilantiam docuit, et leges observant diligentius, et rectius administrant rempublicam, et vigilantius agunt; ita quos inimicitia tangit, compellit ut sobrii sint et vigilantes, ut vitent socordiam, omniaque comiter et citra neglectum agant, sicque paulatim nec sentientes ducuntur in consuetudinem non peccandi et mores componendi, si modo vel paulum adjuverit ratio, » ait Plut. I. de util. cap. ab inimico. Id videre erat in Davide etiam, qui postquam percussisset ducentos Philisthæos, et abstulisset eorum præputia, exstimulavit eorum in se odium, ut egrederentur ad puniendum: *A principio ergo egressionis eorum pru-*

*dentius gerebat se David, quam omnes servi Saul*, ait sacer textus, I. Reg. XVIII. XXX. quia nimirum ipsius caput petebatur a Philisthæis. Laudatur etiam a Cassian. I. XVIII. c. XIV. nobilis matrona Alexandrina, quæ viduam sibi importunissimam dari ad exercitium patientiæ petiit ab Athanasio, ut dixi in festo SS. Simonis et Judæ apost. c. II. d. II.

IV. Panis seu cibus abunde subministratus non fortes tantum, sed formosos efficit homines. Hac enim de causa Nabuchodonosor jussit ephebos suos enutriri e mensa sua, quo formosiores evaderent. Compara divitum filios cum filiis pauperum, videbis discrimen maximum, illos quidem elegantes et speciosos, hos vero luridos ac deformes. Unde hoc, nisi quia illi bene, hi male comedunt? Sic omnino injuriæ et persecutiones inimicorum formare solent hominem. Lapidatæ, dum suis malleis et scalpellis tundunt lapidem, efficiunt inde statuam elegantem alicujus sancti, quæ postmodum in altari collocata honoratur, velut imago sancti: ita inimicorum probris et injuriis expolitur homo et provehitur ad gloriam. Nonne S. Stephanus, qui ingenti lapidum imbre, quo eum obruere et extinguere voluerunt inimici, in pulcherrimam imaginem efformatus fuit? Qua ratione alia magis illum evehere potuissent? Constantini Magni effigies a malevolis lapidata fuit: suadent ergo amici, ut ultionem de iis sumat. At ille, abstersa fronte: *Ego vero nullum quidem in fronte vulnus deprehendo, sed sanum me per omnia video*, teste S. Chrysostomo, hom. XX. ad pop. Antiochen. Verum lapides nostro Stephanus non modo nil nocuerunt, sed etiam januam cæli aperuerunt, et nobilissimum ejus civem fecerunt. Deformare quidem et extinguere eum volebant; sed contra intentionem pulcherrime exornaverunt, fere ad eum modum, quo Neacles insignis pictor, cum equum spumantem pingeret, nec tamen spumam oris exprimere posset, indignatione motus, picturam omnem delere, impacta in tabulam spongia, voluit: sed dum spongiam coloribus imbutam tabulæ illisit, casu spumam oris affarrime expressit, Plin. I. XXXV. c. X. Ita et Judæi, dum Stephanum ad suæ sectæ confessionem trahere non possunt, ita et indignatione moti lapides in eum jaciunt; ac simul quem extinguere conabantur, illustrissimum cæli principem fecerunt.

Videmus ergo lapides non semper esse lapides, sed posse fieri panes. Et quid multis opus? Vidit hoc et Satan: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*, inquit Christo. Igitur et tu, Christiane, si filius Dei es, fac ut lapides injuriarum tibi panes fiant: sic non modo grande miraculum